

Nur

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.

27.

28.

29.

30.

31.

32.

33.

34.

35.

36.

37.

38.

39.

40.

41.

42.

43.

44.

45.

33

DISPUTATIO POLITICA
De
B E L L O,
quam
sub Sceptro Academico
Serenissimi Principis ac DOMINI,
DN. JOHANNIS WILHELMI,
DUC. SAX. JUL. CLIV. & MONT.

&c. &c.

Indultu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

P R O L O C O

in Eadem more majorum rite obtinendo,
publicæ Doctorum disquisitioni subjicit

M. JO. FRIDERICUS Horn/

Pedestrium Copiarum Serenissim. Duc. Saxo-Vinariens.
vocatus Concionator,

R E S P O N D E N T E

CHRISTOPHORO HEINRICO à Rayn/


Equite Misnico.

horis locoque consuetis

ad d. Febr. 10. M DC LXXXIX.

JENÆ,
Litteris **N I S I A N I S.**

DISPUTATIO POLITICA
IN
DICO HOMINIS MATERIA
DICO LOGO
M. IO. ERIDERICUS GEM.
CHRISTOPHORO HEINRICO VITRI



Q. D. B. V.

Mnes ferè totius Europæ anguli
& versus Orientem & versus Oc-
cidentem belli flammis sunt quasi
circumsepti. In plaga quippe Ori-
entali mirum in modum hactenus sœviit com-
munis iste Christiani nominis hostis, Turca,
qui veri Dei cultoribus non tantum minabatur
extrema, sed etiam invasionibus nos premebat
periculosissimis adeò , ut si ad vota ipsius res
bellicæ successissent, Christi nomen ejusdemq;
confessores haut dubiè prorsus extinxisset. Sed
Jehova pro sua pugnavit Ecclesia, hostemq;
dictum manu prostravit fortissima. In Occi-
dentali autem , non ita pridem sœvire coepit
Rex ille , vt solenni formula audit , Christia-
nissimus; cuius milites quam horrenda crude-

A 2

litatis

litatis exempla in nostros edant , vix verbis ex-
primi potest. Dum igitur ubiq; locorum vel
de bellis ipsis , vel de eorum apparatu agitur ,
placuit & nobis bellum aliquod movere ; non
beluinum , sed bellum ; non inimicum , sed ami-
cum ; non amaræ mortis , sed bonæ sortis ; non
tollens , sed extollens . Et cum de hac ipsa ma-
teria ante nos plurimi profundioris doctrinæ
viri prolixè egerint , vitio nobis vertet nemo , si
ex illorum scriptis quædam ad institutum no-
strum factura apicularum more delibaverimus .
Sciat autem **Lector Benevolus** , tribus nos
præsentem disputationem inclusuros esse ca-
pitibus :

I inscribetur de belli ὥνοματολογίᾳ atque
definitione.

II de variis divisionibus ; & denique

III de quæstionibus quibusdam controver-
sis , cum præsentique materia cognationem
habentibus. Deus igitur addit hisce nostris co-
natibus, ut felicem nanciscantur finem !

C A P.

CAPUT I.

De belli *ονοματολογίᾳ* atque definitione.

§. I.

IN evolvenda belli etymologia non una auctorum est sententia. Aliis quippe placet, bellum habere suum ortum à Belo, non quidem à primo isto Assyriorum Rege & Nini parente; neque à Belo cognomino Prisco, Epaphi vel (ut quidam volunt) Neptuni & Lybies filio, sed à Belo Phoenicum Rege, Viro scientiae militaris peritissimo: de quo aliás referunt, quod primus gladium ferreum invenisse dicatur. Alii putant, bellum esse dictum per *ἀνθρόπον*, quasi minimē bellum, quod scilicet bellum nihil aliud sit, quam lerna, sentina vel cumulus omnium malorum: Ad modum forsitanum, quo Parcae à Poëtis per *ἀνθρόπον* dictæ sunt à parcendo, quod minime parcant viventibus, & lucus, quod minime luceat: Alii, quod Festo & ejus asseclis placet, derivant à belua, quod beluarum quasi more homines inter se sœyiant & mutuo se conficiant laniatu; quo respexisse haut dubie videtur ille Poëta:

Pax homines, sāvas trux decet ira feras.

Alii querunt originem in vocabulo Græco *βέλος*, quod *ἄντρα βάλλειν* jacere deducitur, quia scilicet telis vel jaculis bella geruntur: Alii ab eo, quod sit bellum i. e. bonum intuitu finis, pacis, cuius gratia bellum solet institui, quorum sententiæ quadam tenus ad stipulari videntur Boëcerus lib. 1. de bello cap. 3. not. 2. & Obrechtius th. 9. & seqq. dum scribunt, bellum diverso respectu & bonum & bellum, & rursus, neque bonum, neque bellum nominari posse: Bonum appellant ratione finis, quia pacem & tranquillitatem persequi-

A 3

tur,

tur, & vim ac injurias hominum coercet; Malum vero vocant propter incommoda & mala, quae in eo proveniunt: addunt porro, bellum non per se, sed per accidens esse malum, quia per se non propter malum, sed bonum suscipitur & geritur; per accidens vero fieri, ut multa mala in eo eveniant. Alii denique, quorum sententia recepta est, statuunt, vocabulum bellum natum esse à duello: antiqui enim duellum ante dicebant, quod poste à bellum vocarunt. Quid verò licentius, quam quod hominum etiam nomina contraherent, quod essent aptiora? nam ut duellum bellum, & duis bis; sic Duellum eum, qui Poenos classe devicit, Bellum nominarunt: cum superiores appellati essent semper Duellii; & hujus quoque sententiae propugnatores extiterunt *Varro Lib. 6. De Lat. ling. Scal. lib. 3. Poet. cap. 90. Hug. Grot. de J. B. & P. lib. 1. cap. 1. not. 2.*

§. II. Hebræis dici solet bellum מַלחְמָה & מַלחְמָה à radice מַחְםָה quod significat vesci, edere, pugnare, cædere sive id fiat gladio sive dentibus. Et hujus denominationis sequentem reddunt rationem, quia in bello multæ eduntur cædes. Græci autem ad designandum bellum utuntur vocabulo πόλεμος, quod juxta Lexicographos & in specie Scapulam multiplex habere dicitur etymon: nimirum quidam putant, vocem hancce compositam esse ex πόλις & αἷμα, ut sit quasi πόλισμα. Alii statuunt vocabulum hoc dictum πόλεμος τὸ πόλεις μετέν à minuendis urbibus: non nulli à πόλισμη palma, quod palmis partes hostiles pugnare soleant; secundum alios autem vocatur πόλεμος à πόλειν (quam sententiam fovet & Scapula) i. e. à vertendo, quod videlicet multi casus variaeque rerum conversiones fiant in bello, cuicunque sententiae aliquis subscripterit, per nos licet.

§. III.

§. III. Etymologiam excipit Homonymia atq; Synonymia. Missis autem acceptationibus iis, quas Flacius ex codice Sacro eruit, & clavi scripturæ inseruit, Vox belli in foro Philosophico duobus præcipuè modis usurpatur: (1) pro armata duorum exercituum pugna actuali: (2) pro duorum exercituum dissensione, quæ à pugna & conflictu est vacua. Hoc loco præscindimus quasi ab utraque acceptione.

§. IV. Synonymia propriè & in rigore Logico sumta non datur; vulgo tamen pro Synonymis habentur bellum, prælium & certamen, revera autem non sunt. Cum *bellum*, referente *Ausonio Popma Friesio tract. de differ. verborum*, significet totum hoc tempus, quo manet dissensio hostilis et si cesseretur à conflictu, aut induciæ intercedant. *Prælium* est, cum acies utrinque congregiuntur. Hinc *Liv lib. 9.* dicit, quod populus Romanus et si nullo bello, multis tamen præliis victus sit. *Certamen* vero est vox generalis, quia non solum armis, sed & verbis certare dicimur.

§. V. Explicatis hoc modo illis, quæ belli *ενοματολογίας* concernunt, jam ad illius nos convertimus definitiōnem, quæ à variis, variè, à paucis bellè fuit tradita. Cum *alibus* quidam definiunt ita: bellum est actio hostilis ad injuriam propulsandam vel vindicandam à magistratu vi armisque contra hostes pacis retinendæ vel consequendæ causa legitimè suscepta & administrata. *Liebenthalio in Coll. polit. disput. 14. §. 1.* ita delineare placuit: Bellum est contrariorum duorum publicorum exercituum justa & prudenter à magistratu pacis retinendæ vel consequendæ causa indicta contentio. Cicero sic describit: Bellum est certatio per vim. Dictis hisce definitionibus subscribere nos minimè possumus, cum inadæquata sint suo definito: priores quippe duæ nimis angustæ sunt, nec nisi bello justo atque legitimo convenire possunt; posterior vero nimis lata est, & privatis

quo-

quoque quibusvis dimicationibus , quæ itidem per vim
fiunt, competit. Et ejusdem tenoris est illa, quam protulit.
Hug. Grot. de Jur. B. & P. cap. 1. num. 11. Bellum est status
per vim certantium, qua tales sunt. Impingunt igitur singulae
definitiones jam citatae in regulâ istam Philosophicam:
definitio neclatior , nec angustior sit suo definito. Nos sal-
vis aliorum doctorum sententiis sequentem in modum de-
finimus : Bellum est status eorum , qui cum imperio sunt,
per vim concertantium , qua tales sunt. Ut mens nostra
cuivis pateat , verba definitionis breviter perlustrabimus:
Dicitur autem (1) quod bellum sit *status* , ad innuendam
differentiam prælii & similitudinum certaminum , quæ consistunt
in ipso actu per vim certandi. Notum quippe est, bellum
non solum in ipso actu configendi & per vim certandi, sed &
in statu ac respectu illorum ad invicem , qui certant & dissident
inter se, consistere. (2) *eorum , qui cum imperio sunt.*
hisce verbis indicatur causa efficiens principalis , quæ est
Magistratus , & quidem politicus , non vero Ecclesiasticus ,
quia hic totus Ecclesiæ inservire , nec secularibus negotiis se
immiscere debet. *Sacerdotis enim , dicit Chrysostomus ,*
est , populum monere , qui agladium tenet mentis , non Martis. (3) *Concertantium per vim ad excludendas dissen-
tiones animorum & litigia verbis , scriptis & modis aliis ex-
orta.* (4) denique *qua tales sunt.* Hæc verba addita-
sunt, ut ostendatur , non omnem statum per vim certan-
tium esse bellum : quoniam & inducæ sunt status certan-
tium per vim, non tamen propriè bellum , sed illum solum-
modo , quo per vim certantes se invicem respiciunt qua-
tales.

CAP.

CAPUT II. Sistens varias belli divisiones.

§. I.

Quod à nobis in præsenti materia instituti memores
hocce Capite unam atque alteram belli exhibebimus di-
visionem. Dividi autem solet pro diverso considerandi mo-
do multifariam. Et quidem (1) *ratione objecti* in bellum,
quod cum vicinis, & istud, quod cum remotioribus geritur,
quorum hoc è tutiori atque feliciori peragitur modo, quò
vicini sunt amicabiliores, liberioremque per suas regiones
concedunt transitum; illud vero periculosus & funestius ple-
rumque. (2) *Ratione subjecti* in id, quod est in causa propria,
& istud, quod est in causa communi: illud suscipitur ex causis
unam rempublicam concernentibus, hoc ex iis, quæ attin-
gunt plures; Et, si commune fuerit periculum, absque de-
decore nemo deserere potest eum, quo cum iniit fœdus
aut alio societatis jure conjunctus est: (3) *Ratione loci* in-
terreste & Navale; illud ab iis instituitur militibus, qui terra
ineunt certamen, vocanturque vel equites vel pedites. Illo-
rum exercitus vocabulo Gallico & nobis recepto dicitur *Ca-*
vallerie; horum verò *Infanterie*. Hoc autem scilicet nava-
le est eorum, qui mari pugnant, & requirit insignem appa-
ratum navium instrumentorumque nauticorum. (4) *ratio-*
ne temporis in continuatum atque interruptum. Posterius
præ priori eligendum videtur, cum in eo vires debilitas vel
amissas restaurare atque recuperare liceat facilimè. (5) *Ra-*
tione finis in offensivum, quod solius defensionis causa su-
scipitur, & defensivum, quo quis injuriam sibi illatam vindicat.
Depositis autem hisce divisionibus omnibus sub dispu-
tationis incudem revocabimus illam, qua bellum dispesci-
tur in justum & injustum.

B

§. 2.

§. 2. Justum bellum in genere dicitur illud, quod ab isto, quem penes est bellandi potestas, justis de causis, intentione & modo legitimo suscipitur. Verba hæcce quatuor nobis sistunt consideranda: (I.) Illum, qui potestatem beligerandi habet. Neque enim, dicente Lipsio, cuilibet fas est, aperire belli portas, sed interest, quibus causis, quavæ auctoritate homines bella gerenda suscipiant. Pro diverso igitur rerum publicarum statu penes diversos quoque beligerandi est potestas: In Regno quippe penes Regem, in Aristocracia penes optimates, in Politia penes populum, in Republica mixta e. g. ex Regno & Aristocracia vel penes unum vel penes optimates uno plures, vel penes unum & optimates simul; De imperio nostro Romano-Germanico videatur Capitulatio Caroli V. & Capitulatio Ferdinandi III. Art. XI.

§. 3. Cumque multum intersit, an quis justam habeat bellandi causam, nec ne; quam si habuerit, Politici omnes svadent, eam militibus sedulo esse inculcandam, ut cognoscant, se bona conscientia hoc vel illo bello arma atque gladios contra hostem posse stringere & sanguinem humanum fundere: quo respexit haut dubie Propertius dum lib. 4. Eleg. 6. ita canit:

*Frangit & attollit vires in milite causa
que nisi justa subest, excutit arma pudor.*

Atque hæc quoque est ratio, cur in descriptione belli justi dixerimus (II.) *justis de causis*. In scholis autem Politicorum tres vulgo statuuntur belli justi causæ justæ. (1) sui suorumque ut & confoederatorum seu sociorum defensio: (2) injuriæ vindicatio; & denique (3) rerum ablatarum recuperatio. De singulis ordine, sed breviter.

§. 4. Prima justa causa est sui suorumque ut & sociorum defensio. Ejusmodi enim bellum non tantum justum, sed & necessarium est, cum vim illatam vi propulsamus, inquit

quit *Cicero pro Milone*. Hoc namque & ratio doctis & necessitas Barbaris & mos gentibus & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propellerent: Hinc & bestiæ pro suo partu ita pugnant, ut vulnera excipiant, nulos impetus, nulos casus reformident. Quod autem non solum pro nobismet ipsis, sed & pro sociis pugnandum sit, agnoscit gentilis Philosophiæ scilicet purioris quasi parens *Aristoteles Rhet. ad Alex. c. 3.* ubi ita inquit *τὸν ἀδικημένος τοῖς ἐαυτῶν πολεμεῖν οὐ τοὺς συγγενῶν οὐ τοὺς ἑνεργετῶν οὐ συμάχοις ἀδικημένοις βοηθεῖν. Oporset injuriam passos pro se ipsis armata capere aut pro cognatis aut pro beneficis, itemque sociis injuria affectis auxiliari.* Huc quoque facit illud, quod Ambrosius profert, fortitudo, inquiens, quæ in bello tuetur patriam à barbaris vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios plena justitiæ est. Hisce addit calculum Hugo Grotius dicens: *subditis proximi imò pares sunt in hoc, ut defendi debeant Socii, in quorum fædere comprehensum id est sive in tutelam & fidem aliorum se dederint sive mutua consilia pacta sint.* Et juris omnino natura est, pacta cum altero semel facta servare; qui vero irrita reddit pacta, mutuum inter homines tollit commercium.

§. 5. Secundam causam justam vocavimus injuriæ vindicationem. Sciendum vero hoc loco est, non ob quamvis, sed ob gravem magnique momenti injuriam bellum publicum esse instituendum: scilicet quando Tyrannus aliquis sacra Dei violat & religionem Christi funditus eradicare intendit aut vi armata irrumpit urbes & pagos devastando, tunc magistratus tenetur bellum instituere & hosti obsistere, factamque hoc modo injuriam in tempore vindicare, juxta illud *Arist. Rhet. ad Alex. c. 1.* *τὸν καιρὸν τῷ γεπέλωστων αἰμάδασι τες ἀδικητας. Par est, ut de iis tempestivè ultio-*

nem capiamus, qui nos ante injuria laceſſiverunt. Quod si
vero leviores fuerint injuriæ, satius nonnunquam agit magi-
ſtratus, ſi jure ſuo aliquantisper cedat: *nam eque apud bo-*
nos miserum eſt occidere, quam perire, nec vicitis, nec victo-
ribus unquam ſolida ſtetit armis voluptas Tacit. lib. 1. &
2. Hisſ.

§. 6. Tertia cauſa eſt rerum ablatarum recuperatio; ſi videlicet non datur alia via, quæ quis ea, quæ hostis abſtu-
lit, recuperare poſſit, bellum rectiſſime iſtituitur. Ita ju-
ſtum hodie eſt bellum Imperatoris atque Ordinum imperii
adversus Regem Galliæ. Sed progredimur ad alia.

§. 7. Additur (III) iuſta intentio: hæc ipſa attendi-
tur, ſi vel ſolius pacis in republica ſtabiliendæ, vel injuriæ ju-
ſtè vindicandæ, vel deniq; amifforum bonorum recuperan-
dorum gratiā ſuceptum fuerit bellum.

§. 8. Denique (IV) modi legitimi fecimus mentio-
neſ, quod & ille probè ſit obſervandus: ut autem modus
belli ſit legitimus, inter alia requiritur (1) ſeria & devota-
Dei invocatio pro felici armorum ſuccesſu & proſpero re-
rū eventu confequendo; quam multum enim interſit in ejus-
modi caſib⁹ dubiis preces ad Deum fundere, ſequens oſtentit
hiſtoria: De Theodosio Imperatore narratur, quod aliquan-
do, cum pugnaturuſ eſſet contra Eugenium & Arbogastem,
qui exitium minabantur Christianæ religioni, tota nocte ad
Deum preces miſerit, & inter alia hiſce uſiſ fuerit verbiſ:
Ubi eſt Theodosii Deus? manè iterum aciem iſtruxerit, ubi
in ipſa pugna vehemens ventorum procella hostium & tela
& jacula non ſolum impediit, ſed & in ipſos retorſit, atque
ſic victoria potitus eſt Theodosius. Et hoc eſt iſpum præ-
liuim, de quo Claudianus quondam cecinit:

O nimium dilecte Deo, cui militat aether,
Et conjurati veniunt ad clafficaventi.

(2) de-

(2) deliberatio maturè instituenda cùm viris rei militaris
maximè peritis pro removendis atque evitandis in tempore
adversis. Conditionem hancce elegantissime inculcat Lipsius
lib. V. Polit. hisce verbis: *Quid sine consiliis omnis belli ap-*
paratus ? Fumus: quid viri? funus. Antequam igitur aliquis
bellum gerere secum constituit, perpendere probè jubetur
mala bellum ordinariè concomitantia : deinceps examinet
opes viresque suas, an sufficientes sint ad inceptum bellum
continuandum: denique cogitet secum, an ejusmodi exer-
citum sibi comparare possit, qui neque fortitudine, neque
stratagematibus cedat hosti, & qua sunt hujusmodi requisita
plura alia. Huc referri quoque solet (3) clarigatio, quæ
est legitima belli denunciatio; & hæc fit vel per faciale, qui
à principe mittitur ad bellum hosti denunciandum & jure
Legatorum fruitur vel per literas. vid. Colleg. MSS. Polit.
Celeberrimi Schmidii Magnifici Domini Pro-Rectoris, Fau-
toris ac Patroni nostri plurimum colendi. Fit aliàs alio quo-
qué modo v.g. Tubæ tympanorumve sonitu, durch Trom-
peten Schall / Anblasung einer Stadt oder Pauf'en-
Schlag / vel vexilli Martialis ostentatione durch Ausste-
ckung einer Blut - Fahne / hosti redduntur signa.

§. 9. Hæc de bello justo; pauca nunc etiam in medium
proferemus de injusto. Puto autem ex jam dictis de bello
justo constare cuivis facilè posse, quid sit bellum injustum.
Est scilicet illud, quod à persona non legitima, ex causis injus-
tis, ex mala intentione modoque vituperando suscipitur.
Et cum oppositorum eadem sit ratio, hinc itidem quatuor
essent perpendenda: nempe (1) persona illegitima (2) In-
tentio mala (3) modus vituperandus & (4) causæ injustæ.
Cum autem priora tria membra ex superioribus deduci facile
possint; quartum solummodo tribus, quod ajunt, verbis
adhuc considerabimus.

§. io. Injustarum belli causarum nomine veniunt nobis in primis dominandi libido seu ambitio & avaritia: prioris nimirum libidinis, quae multorum animis insidere solet, exemplum luculentissimum deprehendimus in Alexandro M. qui, referente Seneca *ep. 94*, libidinem dominandi causam belli habebat, & maximam gloriam in maximo imperio putabat, agebat eum furor aliena devastandi, & ad ignotam mittebat non contentus tot civitatum strage, quas aut viceras Philippus, aut emerat. Quem dominandi pruritum dicto Alexandro exprobabant Scythæ hisce verbis: *Si Dii habitum Corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet, altera manu orientem, altera occidentem contingeres.* Curt. *lib. 2.* quod ipsum de moderno Galliae Rege asseri quoque potest jure summo. De posteriore autem scilicet avaritia satis superque constat, quod sola à multis belli causa statuatur, dum sorte sua unus atque alter non vult esse contentus. Hinc Boëthius & verè & concinne dicit quodam loco, tam diu tacuisse classica, quamdiu pretiosa latuere pericula, aurum, gemmæ, &c. morbo hocce laborasse quondam Romanos, ostendit *Petronius Arbiter* sequentibus versiculis:

*Orbem jam totum victor Romanus habebat
Quà mare, quà terra, quà sidus currit utrumque
Nec satiatus erat gravidis freta pulsâ carinis
Jam per agrabuntur, si quis sinus abditus ultra
Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum
Hostis erat. —*

§. ii. Stabilito sic bello justo, dispiciendum nunc quoque erit de illius apparatu, in quo consistat. Consistit autem (1) in *pecunia* legitimo modo acquisita vel acquirenda, qua milites conducuntur, conductique sustentantur: Est enim illa bellorum quasi nervus, fatentibus tantum non omni-

omnibus Politicis. Sicuti autem constat juxta firmam Medicorum sententiam, hominem sine nervis non posse ambulare: ita & bellum progredi sine pecunia nequit sive exercitum sive hostem in tuearis, utrobique auri fructus est uberrimus: Iustum in officio continet, obedientem, fidelem, alacrem atque strenuum reddit; hunc quoties pecuniaria machina non prostravit? perdidit? quot urbes non evertit? & nihil tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ possit. Quot Castella non dejicit, in qua modo asinus auro onustus ascendere potuit, juxta apophagma Philippi Regis Macedonum. Exempla nisi essent obvia atque experientia ipsa omnis aetatis pene innumera suppeditaret, afferre possem plurima, sed cum certitudo dictorum, radiis solaribus quasi perscripta videatur, merito iis supersedemus. Contra vero si vacuum, deprehenditur in crumena, cadunt illa omnia minimeque sunt expectanda, quorum antea fecimus mentionem.

(2) In *commeatu*. Commeatus nomine hoc loco indigamus illud, quod Germani vocant **Proviant**; & comprehendimus illo omne id, quod ad vitam sustentandam militibus est necessarium e. g. panis, frumentum, caro, vinum, cerevisia, vestes, &c. Hujus rei defectu exercitus splendidissimi fuerunt consumti, benè igitur ait Vegetius, sine ferro vincitur, qui frumentum, necessariaque non præparat. Ut autem exercitui nunquam desint necessaria vivendi media, exstruuntur ædes frumentariae, i. e. **Magazin = Häuser**.

(3) In *armorum præparatione*. Per arma intelligimus omnia instrumenta bellica, quibus ad vim inferendam, aut illatam propulsandam cominus vel eminus, offensivè vel defensivè uti possumus: Aque sunt illa duplicitis generis: Alia portabilia, alia vectilia: Illa sunt minora, ut gladius, machæra, scutum, ensis falcatus, hasta, acinaces

naces, jacula, sclopeta &c. quæ secum semper portant milites; hæc verò scilicet vectilia sunt tormenta, seu machinæ fulminares graviores; appellanturque alias *Mauerbrecher*/ *ganze Erthaunen* / *halbe Erthaunen* / *Feuer-Mörsel* / *Feldstücke* / *Falkonet* / *Feuerkugeln* / *Schanzkörbe* & quæ sunt alia ejusmodi instrumenta, de quibus evolvi potest *Andreae Reiters Kriegs-Ordnung* it. *Georgii Andreæ Böcklers Schola militaris moderna*. Denique, (4) *in militum cura*. Cumque in genere sint vel primarii vel gregarii; hinc pro diverso illorum ordine diversa etiam desiderantur atque requiruntur. In primariis, quibus intelliguntur duces & officiales, esse debet (a) *scientia rei militaris*, ut expediti sint in omnibus suis actionibus, felices in inveniendis consiliis salutaribus, celeres in conficiendo, sagaces in stratagematibus excogitandis. (b) *virtus*. Nam quia primarius miles reliquorum quasi exemplar esse debet, conspicuus quoque sit quoad mores suos, quo milites ad imitationem incitentur: in primis elucescat pietas, temperantia, fortitudo, severitas clementia temperata, prudentia, alacritas, & quæ sunt alia. (c) *Auctoritas*; ubi hæc non est, ibi nec timor est hostium, nec militum. Hancce autem facile aliquis sibi comparabit, si prælaudatis virtutibus probè fuerit instructus. In gregariis verò requiritur, ut sint corporis robusti, celeres atque expediti, patientes famis & sitis, frigori & calori assueti, tolerantes vulnerum, armorumque tractadotorum periti, amantes ci-vium atque patriæ, metuentes legum, & observantes dum, cupidi honoris, animosi, & cauti in periculis adeundis. Vid. *ante cit. Colleg. Schmid.*

§. 12. Conscriptis militibus instituenda est lustratio, quam præcedere debet exercitium militare, quod consistit partim in præceptis, partim in exercitatione: Præcepta tra-dun-

duntur de peritia & scientia rectè utendi armis , vim inferringi , ictus depellendi , hostem adoriendi , mœnia expugnandi , obsidentes depellendi , ordinem militarem servandi &c. Exercitatio bellica est actionum bellicarum , quarum demonstratio facta est , usus in quolibet armorum genere inter Pedites & Equites.

§. 13. Hisce omnibus rite constitutis addi solet jura-
mentum à militibus præstandum. Dicendum nunc etiam ali-
quid esset de variis militum pœnis , privilegiis , captivitate &c.
At verò quia instituti ratio non permittit , relinquimus ul-
teriorem & accuratiorem deductionem iis , qui vel experi-
entia vel lectione vel relatione majorē sibi compararunt
belli notitiam , & convertimus nos ad

CAPUT III.

Exhibens controversas quasdam, quæstiones.

QUÆST. I.

An Stratagemata in bellis liceat adhibere?

Non una pro decidenda hac quæstione auctorum est sen-
tentia : Alii defendunt negativam sequentibus induc-
tationibus : (1) quia fallere proximum non est licitum , &
pugnat illud cum præcepto octavo . (2) Quia contra jus
& fas est occulte hominem aggredi : & veri potius militis
est non fraude , sed palam & armatum eundem ulcisci . *Tacit.*
Lib. 2. annal. Alii , cum quibus & nos facimus , amplectun-
tur affirmativam , & ad rationes antea adductas respondent ,
qnod hosti , propter pericula summa , quæ ipse nobis quibus-
vis modis struit , liceat itidem sive apertè sive occultè ob-

C

viam

viam ire , eidemque resistere , sicut ex communi hominum
quasi sensu Virgil. lib. 2. *Aeneid.*

Dolus an virtus , quis in hoste requirat ?

Nihil enim gloriosius bono duci , quam siuorum citra cædem
& sangvinem hostem cædere , & sine periculo victoriam
comparare . Consentit nobiscum hac in re biga veneran-
dorum Ecclesiæ Patrum Augustinus & Ambrosius ; quorum
ille dicit : Cum bellum justum suscipitur, utrum apertè quis
pugnet , an ex insidiis,nihil ad justitiam interesse . Hic verò
fraudem usurariam adversus hostes legitimam pronunciat ;
ab hoc usuram exige , quem non sit crimen occidere,sine
ferro dimicat , qui usuram flagitat ; & concludit tandem : ubi
jus belli , ibi etiam jus usuræ . Imò in codice sacro hujus rei
deprehendimus exempla : Abrahamus divisit exercitum &
hostem securum occupavit *Genes. XIV. v.13.* Idem fecit po-
pulus Israëliticus , cum ob sideret Benjamitas . *Jud. XX. v. 29.*
Et Deus ipse mandat Josuæ ut urbi Hai insidias struat , *Jos.*
VIII. Davidem à tergo Philistæos adoriri jubet : *2. Sam. V.*
v. 23. Interim quod ad prudentiam militarem attinet , hæc
observanda est cuivis cautela , ne stratagema aut dolus , an-
tequam perpetratur, hosti patefiat , sed celanda & clam ha-
benda sunt omnia . Sicuti fecerunt Metellus & Mauritius ,
quorum ille tunicam suam flaminis se traditurum ; Hic pi-
leum suum non retenturum dixit , si nosset arcana illum sua
scire . Ceterùm pro decisione quæstionis distingvendum esse
ducimus inter stratagemata , quæ sunt contra datam fidem ,
& ea , quæ salva & integra fide data atque Imperatoris digni-
tate patrantur . Removemus igitur illam vilem & abjectam
dimicandi rationem , quæ quis hostem tollit veneno vel alia
arte veteratoria .

QUEST.

QUÆST. II.

*An fraudendum Principi vel Duci, ut ipsis
præliis intersit?*

Pro sententia negativa urgeri solent sequentia: (1) quia lucerna populi non est extingvenda, quod facile fieri posset, si princeps interfuerit prælio; ex cuius interitu maximum sæpius oritur incommodum juxta verba Aëgesyppi *l.5. cap.30. in milite unius fors est, in Imperatore universum periculum.* Atque hæc haut dubiè fuit ratio, cur populus Israëliticus Davidi nollet concedere, ut ad pugnam egredetur contra Absolonem, ut videre licet *2. Sam. c. XVIII. v.3.* (2) Obstat videtur, principemque à prælio detergere potest modernus tormentorum bellicorum usus, quibus à vilissimo & abjectissimo servo vel experientissimus heros necari potest. Sententiam autem affirmativam evincere sequentes videntur rationes: (1) Quod Deus ipse jubeat duces præfectos, si pugnandum sit, in prima acie consistere. *Dent. X.* (2) Quod princeps sua præsentia militibus robur, vires, atque animum novum inspiret. *Si enim, inquit Curtius lib. X.* vident ducem suum milites, vehementius & ipsi in prælia ruunt. (3) Quod præsentia Ducis fugam exercitus sæpiissimè reprimat, victoriæque causam porrigit; & quæ sunt innumera commoda alia. Nos in decidenda hac quæstione distinctè procedimus: (1) Si princeps est animo fortí & heroico. (2) Prospera utitur fortuna, disfudendum illi non est, quod minus in prælium se conferat, &, si non prælio ipsi intersit, adsit tamen, præsertim si status imperii aut salus provinciarum indiscriminé vertitur. Hoc modo milites magis excitantur ad pugnandum, & res

ipsæ sæpius succedunt felicissimè. Sin verò ille fuerit timidus , pusillanimis & à fortuna bellica desertus maneat domi , ne timiditate sua se & totum exercitum objiciat periculis.

QUÆST. III.

An in bello pedites equitibus, an vero equites peditibus præferendi sint?

IN favorem equitum afferri solent hæ rationes : (1) Quia in campis & pugnis citò parant victoriam : (2) Ad fugandum & persequendum hostem paratores sunt atque promtores. (3) In equitibus præcipuum quasi robur situm est : sicuti hoc ipsum afferit Aristot. l. 4. Polit. c. 13. dum inquit , apud antiquos omne robur belli in equite fuisse. Nostra quoque ætate constat, equitum robore plus sæpe fuisse effectum , cum in acie hostili perfringenda, tum in ipsis hostibus aut opinione celerius circumveniendis , aut ab iis commeatu & auxiliis avertendis. Pro peditibus autem sequentia militant ratiocinia : (1) Quod ubique prosint & quolibet in loco certare queant. Multa quippe loca penetrare possunt , ad quæ equitibus pervenire non licet : cuiusmodi loca sunt montes, sylvae, vales & paludes. (2) Quod minoribus sumtibus possint comparari atque nutriti, quam equites. (3) Quod pedites in acie rite collocati longe facilius equitum ordines perturbent atque frangant , quam ipsi ab equitibus divelli queant. Quod ipsum variis deduci posset exemplis, nisi experientia quotidiana testaretur. Vir quidam Celererrimus datam quæstionem sic determinat: Quod equites præferendi sint peditibus respectu prælii tanquam partis

tis belli , pedites vero præferendi veniant Equitibus respectu universi belli sive omnium actionum bellicarum extra prælium. Deinde ratione loci datur aliqua distinc^{tio} : nimurum si loca sint montosa vel invia , major est utilitas peditum, quam equitum , sin vero loca fuerint plana & expedita , prævalent equites. Exinde patet , nihil certi posse statui , quinam præferendi sint , cum utrique in bello maxime sint necessarii , qua sententia acquiescimus præsentique disputationi imponimus

F I N E M.

Corollaria.

1. **M**ulti , qui latina loquuntur , non semper latine loquuntur.
2. Mos iste , quo pueri in Scholis ad unguem sine sensu recitare tenentur Grammaticam , rejiciendus est.
3. Lingvæ Græcæ atque Hebraicæ notitia Studiosis Theologiæ maximè est necessaria.
4. Poëtarum Lectio meritò est commendanda.
5. Poëtæ atque Pictores ex vulgi sententia

C 3 codem

eodem gaudere dicuntur fingendi privilegio.

6. Inter Rhetorem atque Oratorem magna est differentia.

7. Rheticæ Profanæ non nisi tria statuenda sunt causarum genera.

8. Historia de Johanne VIII. Papa, dixerim potius Papatrice, quod pepererit, est verissima; quicquid etiam contra ogganniant Pontificii.

9. Qui negat Logicam esse scientiam de arte inveniendi conclusionem scibilem vel probabilem, genuina, ut mollius loquamur, Analyticæ præcepta ignorat.

10. Rectius faciunt, qui in Logicis Dialecticam præponunt Analyticæ, quam qui postponunt.

11. Metaphysica certo modo versatur circa omnia.

12. Metaphysica est certa ab aliisque disciplinis distincta, contra Amesium.

13. En-

13. Entis Conceptus in ordine ad inferiora
neque univocus , neque æquivocus est , sed
communis ab uno ad unum.

14. Essentia atque existentia differunt &
non differunt.

15. Tria rerum naturalium juxta commu-
nem Peripateticorum sententiam statuuntur
Principia.

16. Obscuratio solis tempore passionis
Christi suborta maxime singularis fuit atque
extraordinaria.

17. Arithmetica rectissimè statuitur Ma-
theeos fundamentum.

18. Nullum Studium Mathematico est
jucundius.

19. Demonstrationes Mathematicæ sunt
accuratisimæ.

20. Summum bonum absolute spectatum
hac in mortalitate non cadit in hominem.

21. Qui mendacium loquitur , non illicò
mentitur.

22. Du-


22. Duellantes minimè dicendi sunt fortis.

23. *Αυτόχεις* meritò dicitur homo pessimus, utpote qui recusat honeste vivere , cum velit plane non vivere.

24. Politicus bonus aliquis esse nequit, qui non sit Ethicus.

25. Homo ob sociabilitatem sibi à natura quasi inditam abhorrere debet à vita solitaria.

26. Politica sicut nobis bene beateque vivendi rationem in societate civili.



63158

AB 63158


ULB Halle
002 422 263

3



86

VD 17



33

DISPUTATIO POLITICA
De
B E L L O,
quam
sub Sceptro Academico
Serenissimi Principis ac DOMINI,
DN. JOHANNIS WILHELMI,
DUC. SAX. JUL. CLIV. & MONT.
&c. &c.
Indultu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
PRO LOCO
in Eadem more majorum rite obtinendo,
publice Doctorum disquisitioni subiicit
M. JO. FRIDERICUS Horn/
Pedestrium Copiarum Serenissim. Duc. Saxo-Vinariens.
vocatus Concionator,
RESPONDENTE
CHRISTOPHORO HEINRICO à Rayn/
Equite Misnico.
horis locoque consuetis
ad d. Febr. A.D. M DC LXXXIX.

*JENÆ,
Litteris NISIANIS.*

